

250

Lib. II. Cap. VI.

4. Dico: *Quae immediate nomen aut quod est vice nominis, &c.* Nam licet in subjecto vel praedicatione enunciationis ponatur negatio aliqua, si tamen non immediate afficit nomen, aut quod loco nominis ponitur, sed proxime afficit copulam minus principalem, manet enuntiatio finita, e. g. *quod non est animal est id quod non est homo.* Haec licet in subjecto & praedicatione habeat negationem, manet tamen finita, quia neutra immediate nomen afficit, de his plura in seqq.

5. Infinita enuntiatio est, quae vel in subjecto vel in praedicatione vel in utroque simul habet negationem, quae immediate afficit nomen, aut quod est vice nominis, e. g. Q. non animal est vivens. Lapis est non animal. O. non coloratum est non album.

6. Dico: *Negationem quae immediate afficit nomen &c.* ubi observa, particulam negativam dupliciter posse in subjecto vel praedicatione poni 1. ut immediate afficiat nomen vel quod loco nominis ponitur, eique immediate praefigatur, ut in allatis exemplis, & h. m. 7 NON reddit subjectum vel praedictum infinitum, & per consequens ipsa etiam enuntiatio h. m. est infinita. 2. ut immediate verbo seu copulae minus principali in subjecto vel praedicatione praeponatur, e. g. Quod non est animal, caret sensu; amarum est id, quod non est dulce: h. m. nec subjectum nec praedictum est infinitum, &  
confe-